

Xa
4332





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-48112-p0002-1

DFO

1.5.15

Xa
4332

MEMORIAM
PRINCIPIS ÆTERNA,
MEMORIA DIGNISSIMI,
DIVI
AUGUSTI,
PRIMATIS GERMANIAE
ET DUCIS SAXONIAE,
&c. &c. &c.
ILLUSTRIS GYMNASII AUGUSTI
CONDITORIS AUGUSTISSIMI,
HUMILIME
REPETIT
JOACHIM LEISTENIUS,
AUGUSTEI RECTOR ET P.P.

WEISENFELSAE,
LITERIS JOHANNIS BRÜHLII DUC. SAX. TYPOGR.



Laus August





Ustos in perpetua memoria esse, Princeps sacrorum Carminum tradit, qui ut memoriam sui propagaret, & ab edaci rerum tempore tueretur, pietate & justitia thronum suum firmare in primis studuit, effecitque adeo, ut de superata vetustatis invidia nunc plenum agat triumphum. Nimirum, non generis splendore, non corporis nitore, non opum affluentia, nec ædiū statuarumque magnificentia, sed justitia & æqvitate, quæ omnium virtutū thesaurus & moderatrix est, fama perennis & immortale nomen paratur. Justitia enim, uti omnis virtus, non clara solum & æterna est, sed æternum quoque splendorem his adfert, qui ad honestatis studium præcipuam suam curam referunt, suum cuique tribuunt, & ne ullo dicto factove proximum laedant sedulo cavent. Hæc facit, ut absentes adsimus, mortui vivamus, & humo teati in luce & animis omnium proborum versemur. Hanc qui diligunt & constanter colunt, uberrimam materiam laudandi se & facinora sua celebrandi gratæ posteritati relinqunt. Hanc in Mose, Samuele, Davide & Josaphato Ebræi, in Socrate & Aristide Græci, in Artaxerxe Persæ, in Scipione Africano, in Augusto & Trajano Romani, in Carolo & Ottone Magnis Germani ita admirati sunt, ut laudes eorum in commentaria sua referre & venturis ætatibus commendare & sibi & genti suæ gloriæ duxerint. Eoque factum, ut fama illorum etiamnum vigeat, duratura ad omne ævum, modo non defuerint, qui monumenta veterum evolvant. || Qvanquam vero omnes, qui justitia excellunt, firmum solidumque fundatum perpetuae commendationis jecerunt; multo tamen celebrior magisque perennis illorum memoria est, qui, fide in CHRISTUM justificati, DEO pariter & proximo tribuunt, quæ utriqve debentur. || Horum enim nomina scripta sunt in libro vitae, ex quo nulla hominis manus, nulla vetustatis tabies, nulla temporum injuria ea delebit: Hos in manibus suis Jehova descriptis, atque ideo non

non magis illorum demenisse potest, quam pia & sedula
mater lobolis suæ, ab uberibus adhuc pendentis. Hi sem-
per crescunt, ut cedrus in Libano, semper florent, ut palma
ad fluenta aquarum, quæ nec cariem sentit, nec virere
unquam desinit. Quicunque igitur immortalitatis amo-
re ardent, & post fata & funera aliquid sui superesse in o-
ptatis habent, hos summa ope niti decet, ne cancellos, qui
bus regina virtutum actiones humanas circumscripsit,
egrediantur, sed intra eos vitæ stadium decurrant. Præsti-
tithoc, quantum potuit, gloriosissimæ recordationis Prin-
ceps, DN. AUGUSTUS, Germaniæ Primas & Saxo-
niæ Dux inclytissimus, illustris Gymnasii Augusti conditor
Augustissimus: Is enim ingenti æternitatis desiderio fla-
grans, neq; ignorans, vitæ & famæ perpetuitatem justitiae
præmium esse, summo studio in eam rem incubuit, ut ful-
gorem nominis sui ab oblivione, & se ipsum in immortalis-
tatem vindicaret. Certe ab eo tempore, quo imperii ha-
benas capessivit, usque ad beatum exitum, tanta cum lau-
de Rempublicam moderatus est, ut incolmis per omnia
ingenio DEO, quam hominibus similior non subiectismo-
do populis, sed Principibus etiam viris videretur; sublatu-
autem ex oculis tantu reportarit desiderii. quantum optimi
reliquit exempli. Nunquam ille potentia sua ad impotentiam
usus est: nihil crudeliter, nihil avare, nihil superbe, sed cle-
menter omnia, liberaliter omnia, moderate omnia egit vel
jussit. Virtutibus non tantum favebat prolixe, sed præmiis
etiam & amplissimis honorib⁹ augebat, quos doctrina & vitæ
integritate aliis antistare comperuerat. Cumq; ad omnia,
quæ delinqve bantur, connivere excelsus animus haud pos-
set, ita tamen malefacta vindicabat, ut nobis omnibus con-
staret, ipsum coactum magis, quam voluntate sua ad pœ-
nam descendere, magisq; ad misericordiam, quam seve-
ritatem propendere. Magna hæc omnia, præclara & lau-
de dignissima sunt, sed longe majus est decus, quod sanctis-
imo & supremo Numini servire ejusq; mandata servare
nunquam neglexerit, Noverat, se divinitus his terris impos-
sum esse, ut in custodiam utriusq; Decalogi tabulae excu-
baret, eamq; ob causam nihil æq; officio suo con gruere,
quam diligentissime curare, ut orthodoxa religio, quam
a Majoribus acceperat, sarta tecta conservaretur, pura-
qv

Ex No 4332

que & incorrupta posteris traderetur. Hoc ergo munere tam præclare defunctus est, ut nihil reliqui fecerit vel ad Serenissimos Hæredes suos in vera fide erudiendos, vel ad egregios Ecclesiæ Doctores alendos, vel ad pietatis officinas exornandas. Et, ne unquam deessent, qui cultui divino vacarent, & justitiam fidei profiterentur, Augustum hoc plenumque splendoris Gymnasium fundavit, in quo juventus cognitione veritatis, quæ est secundum pietatem, institueretur, eandem liberis nepotibusque suis redditura. Dubium proinde non est, memoriam Divi AUGUSTI esse in benedictione, & non cedro, sed cœlo mandatam, ut nulla oblivio eam obscurare, nulla ætas obliterare queat. Certe Musæ nostræ (ut rete ominata est inclyta Academia Lipsiensis, cum proxime superiore anno ipsi Idibus Augusti desideratissimi Principis nostri laudes publice memoraret) nunquam committent, ut nomen tanti Apollinise Mne- mosynes fano tollatur, & maxima merita, quibus ille Rem literariam cumulavit, lethæo flumine mergantur. Id ita futurum, rete coniecto, postquam AUGUSTI Paren- tis AUGUSTUS Filius, Serenissimus Princeps, DN. JOHANNES ADOLPHUS, Dux Saxonie, Juliæ, Cliviæ, & Montium &c. Dominus noster Clemensissimus, mandavit, ut quotannis illa luce, quæ lucis usuram Maximo Patri eripuisset, pridie sc. Nonas Junii memoria illius solenni oratione repeteretur, DEOque optimo maxi- mo immortales gratiæ pro beneficiis, per Beatissimi manus in Rempublicam & Ecclesiam collatis, agerentur. Fieri enim non potest, ut illius obliviscamur, cui tam illustre possum est monumentum. Ut vero appareat, nos memo- ri mente tenere, semperque retenturos esse Gloriosissimi Principis insignes virtutes, proxima die Sabbati, (volente DEO) hora & loco consuetis dolorem nostrum super illius excessu, publico nomine, denuo contestabor, simul atq; so- lamen emortis dulcedine adferre conabor, DEUM roga- turus, ut Serenissimum nostrum una cum tota Illusterrissima Familia Saxonica, florentem diutissime servare dignetur. Cuicunq; igitur hic conatus meus non improbatur, illum, ut in tempore adesse & benevole me audire velit, officio- sissime rogo. P. P. Anno M DC LXXXI. Die 2. Junii.

觀(0)活

Pan. Xa 4332 FK

103

ULB Halle
002 428 814

3



A



8.5.15

Xa
4332

MEMORIÆ
PRINCIPIS
MEMORIAE
AUGUSTI
PRIMATIS
ET DUCIS
&c.
ILLUSTRIS GYMNASIORUM
CONDITORIS
HUMANITATIS
REFORMATI
JOACHIM AUGUSTEI R

WEISE
LITERIS JOHANNIS BR



Lars August